



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Alberti Doctoris Magni ex Ordine Prædicatorum  
Episcopi Ratisponensis De Adhærendo Deo Libellvs**

**Johannes <de Castello>  
Albertus <Magnus>**

**Antverpiae, 1621**

Cap. XXII. De Alberti deuotione ad beatissimam Virginem Mariam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44148**

190 B. ALBERTI MAGNI  
Conuentu sit, licet eiusdem sint colo-  
ris vtræque, de qua & ipsi Canonici di-  
cunt, quòd sit per venerabilem Alber-  
tum probata per iniectionem ad ignem  
sicut & nostra, habereque se affirmant  
documentum in scrinio de examina-  
tione rali.

## CAPVT XXII.

### *De Alberti deuotione ad beatissi- mam Virginem Mariam.*

**G**LORIOSISSIMÆ Virginis Mariæ  
Matris vnigeniti Dei tātus Alber-  
tus extitit amator atque laudator, ne ali-  
cui dicta illius scrutanti in dubium ve-  
nire queat, etiamsi alia non essent argu-  
menta, quin singulari gratia ab ipsa Ma-  
tre gratiæ sit dotatus: scriba enim singu-  
larissimus est Virginis eiusdem præ om-  
nibus qui de ipsa scripserunt. Nam sin-  
gulares huius benedictissimæ Virginis  
laudatores sunt, Hieronymus, Ambro-  
sius, Augustinus, Bernardus, Ansel-  
mus, & Ioannes Damascenus, qui om-  
nes decora sua locutione & dulcissima  
deuotione ipsam, vt dignum est, mira-  
biliter



biliter commendant ; quàm magna ,  
quantæ potestatis , cuius meriti perfe-  
ctionisve in omni virtute existat , &  
quàm benigna sit , ornatissimo stilo per-  
suadent efficaciter. Sed non ita appa-  
renter rationibus vincunt animum au-  
dientis vt hic venerabilis Albertus suis  
in Sermonibus de ipsa dum loquitur.  
Probat hoc clarè Liber eiusdem qui de  
Laudibus Virginis intitulatur. Tam co-  
piosè etiam de illa scribit , vt quasi non  
sit Liber in Theologicis ab eo editus ,  
in quo ipsius dilectæ sit oblitus. Fre-  
quentiùs tamen atque abundantius in  
Postilla super Lucam de eadem Virgi-  
ne loquitur , quæ omnia suis in locis  
Lector quicumque inueniet. Nec sim-  
plici ipsam nominando vsus est voca-  
bulo , sed nunc beatissimam , nunc ho-  
nestissimam benedictissimamque , nunc  
Dominam matrem Dei , nunc matrem  
Creatoris appellat ; imò dum allegat  
auctoritatem Virginis , vt patet in Libro  
de Eucharistia , non fuit contentus di-  
cere , Dicitur Lucæ primo ; sed ita : *Hoc*  
*dicit nostra illuminatrix Maria , filia An-*  
*na , hoc est gratia.* Hinc in ipsius Legenda  
sic de eo habetur , quòd ob singulariss-  
mans



*mam deuotionem ad Dominam nostram in horto vel alio secreto loco solus quasi studens, cantionem cum lacrymis ad beatam Virginem, frequentissime suspirando atque singultus immiscens, cantare solebat. Fertur etiam plures Sequentias de beata Virgine composuisse, quæ Sabbatinis diebus decantari solent in Ordine Prædicatorum. Vnde cum tantus laudator beatæ Virginis extitit, non mirum quòd per ipsam quæ plena est gratia, præ aliis gratiam maiorem accepit. Sed & hoc suo testimonio nobis notum facit: in Litania enim sua Orationem ad beatam Virginem facit, quæ sic incipit: *Sancta Maria, secundum nomen tuum illuminatrix celi & terra, quæ in multis de secretis filij tui & Verbi Dei Patris à seculis in Deo absconditis etiam ipsa Angelica lumina illuminasti, &c.* In qua Oratione clarè dicit, beatam Virginem incessanter sibi dona gratiarum contulisse: imò & proferendo per eius linguam, dicit beatam Mariam potentiæ suæ miracula indefinenter operari. Sic autem ait in Oratione ista post alia verba: *Da mihi intellectum luminosum, conceptum stabilem, mentem tenacem, scientiam certam, fidem**



*fidem firmam, sermonem convenientem, qui me audientibus det gratiam; scilicet sermonem qui sit ad fidei confirmationem, ad Ecclesie edificationem, & ad gloriam nominis Filij tui Domini nostri Iesu Christi, ad perpetuam laudem & predicationem misericordie tue, que in tam indignum peccatorem misericordie tue donec conferre non cessas, & proferendo per linguam potentie tue miracula non desinis operari. hæc Albertus in sua Oratione præfata.*

### CAPVT XXIII.

*De eiusdem admonitione ut frequenter & sapienter laudemus beatam Virginem.*

**E**T quia gratiosè dotatus est venerabilis Albertus gratia & scientia per beatissimam Virginem Mariam, meritò eandem frequentius laudare quàm ceteri Doctores debuit, sicut dicta ipsius & scripta commendant. Sed dubium non est, quin etiam Virginis virtutes, quæ sunt, humilitas, castitas, pudicitia, mansuetudo, charitas, & omnis disciplina

I                      plinæ